



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 3. Oratores in Patrum conventu audiri postulantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

„ cunctaretur, ipsi Sessiones suas profe-
 „ qui, ac cetera decreta circa fidei ar-
 „ tículos promulgare velint, hinc Ca-
 „ rolus, ut evitetur schisma, has sessio-
 „ nes inhiberi vult.,,

Sæcul. XVI.
 A.C. 1548.

§. III.

*Oratores in Patrum conventu audiri
 postulantes.*

Ambo hi Deputati quemdam Patrum *Pallav. l. c.*
 conventum die decima sexta Janua- *c. II. n. 2.*
 rii habitum accedentes colloqui co- *Thou l. 5. n. I.*
 piam postulant: Patres vero re in de- *Sleid. l. 19.*
 liberationem vocata totum negotium *p. 697.*
 Montano Legato commiserunt, qui cum *Sarpiib. l. 3.*
 nec Cæsaris indignationem, nec Papæ
 offensionem intempestiva hac repulsa fi-
 bi accersere vellet, ambos hosce Orato-
 res ad colloquium admittere, consultum
 censebat. Ingrediuntur itaque illi, ac
 Synodi scribæ Cæsaris mandata porri-
 gunt, in quibus hæc legebantur: *Cum*
Cæsar Religionis, & Ecclesiæ caussa adver-
sus quosdam, qui se Legatos Apostolicos
nuncupabant, & adversus quemdam Præ-
sulum Conventum Bononiæ congregatum,
qui Concilii nomen prætendit, protestari co-
gatur, id vero per se ipsum efficere ob loco-
rum distantiam minime possit, duos, quos
jam nominavimus, Procuratores suos ad id
ipsum exequendum constituit.

Hh 5

Pro-

Sæc. XVI.
A.C. 1548.

Probe observandum venit, quod Cæsaris literæ inscriptæ fuerint *Conventui Patrum Bononiæ*. Postea Vargas, qui Cæsaris nomine verba fecerat, institit, ut Scribæ, ac Testes, quos ipsi adduxerant, admitterentur. Verum utroque Oratore abire iusso hac super re Patrum sententiæ rogabantur, quæ tamen satis discordes erant; alii enim id indulgendum censebant, alii vero nec Testes, nec Scribas, utpote exteros, esse admittendos arbitrabantur, adducto Pontificii Senatus exemplo, quo hæc regula accurate servatur, nam id quoque Concilii dignitatem, quam Cæsar per epistolæ suæ inscriptionem impugnare videtur, exposcere aiebant. Tandem sancitum est, responsionem Oratoribus dandam biduo esse differendam, eo quod tum frequentior esset Patrum concursus; interea vero illis hæc Patrum sententia per Materanum, & Naniensem Episcopos significabatur. Ast illi eodem adhuc die audiri postulant, quod eis quoque datum. Ergo unacum duobus Scribis, ac quinque testibus admittuntur, ea tamen lege, ut his minime liceret quicquam seorsum in acta referre.

§. IV.